

C.A.P.E.S.
CONCOURS EXTERNE

Section : LETTRES CLASSIQUES

VERSION LATINE

TOT OU TARD LA GLOIRE RECOMPENSE LE MERITE

Gloria umbra virtutis est : etiam invitam comitabitur. Sed quemadmodum aliquando umbra antecedit, aliquando sequitur vel a tergo est, ita gloria aliquando ante nos est visendamque se praebet, aliquando in averso est maiorque quo senior(1), ubi invidia secessit. Quamdiu videbatur furere Democritus ! Vix recepit Socraten fama. Quamdiu Catonem civitas ignoravit ! respuit nec intellexit nisi cum perdidit. Rutili innocentia ac virtus lateret(2), nisi accepisset iniuriam : dum violatur, effulsit. Numquid non sorti suaे gratias egit et exilium suum complexus est ? De his loquor quos inlustravit fortuna dum vexat : quam multorum profectus in notitiam evasere post ipsos ! quam multos fama non exceptit sed eruit ! Vides Epicurum quantopere non tantum eruditiores sed haec quoque inperitorum turba miretur : hic ignotus ipsis Athenis fuit, circa quas delituerat. Multis itaque iam annis Metrodoro suo(3) superstes in quadam epistula, cum amicitiam suam et Metrodori grata commemoratione cecinisset, hoc novissime adiecit, nihil sibi et Metrodoro inter bona tanta nocuisse quod ipsos illa nobilis Graecia non ignotos solum habuisset sed paene inauditos. Numquid ergo non postea quam esse desierat inventus est ? numquid non opinio eius enituit ? Hoc Metrodorus quoque in quadam epistula confitetur, se et Epicurum non satis enotuisse ; sed post se et Epicurum magnum paratumque nomen habituros qui voluissent per eadem ire vestigia. Nulla virtus latet, et latuisse non ipsius est damnum : veniet qui conditam et saeculi sui malignitate compressam dies publicet. Paucis natus est qui populum aetatis suaे cogitat. Multa annorum milia, multa populorum supervenient : ad illa respice.

(1) maiorque quo senior : comprendre eoque maior quo senior

(2) Rutili innocentia ac uirtus lateret : à l'exemple de Socrate, P. Rutilius Rufus, mis en accusation pour concussion à son retour d'Asie, refusa de se défendre. Condamné, il s'exila à Smyrne, cité dont il devint citoyen.

(3) Metrodoro suo : Métrodore de Lampsaque fut, avec Epicure, l'un des fondateurs de l'Ecole épiqueurienne.